

Q. K.
41,
44.

X 1877107

Π i
230

De,

Rebus in Agris reli-
ctis Hebræorum
veterum,

*ad illustranda varia Sacræ S.
commata,*

PRÆSIDE

THEODORO DASSOVIO,

Ling. sanct. & Oriental. reliq. P.P.

cum aliis conferet sententiam

M. JONAS KRUMBHOLTZ,

Neostadiensis Misnicus,

Ad Diem XIX. Febr. A. cl^o Isc XCVI.

In Auditorio Majori,

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.



5



i manu
non era



si manu
a. etc.
sed manu



Reber in ...

... ..

... ..

... ..

... ..

THEODORO DASSO ...

... ..

... ..

M. JONAS KRUMHOLTZ ...

... ..

... ..

... ..

... ..



FIG. I.
 Si manipulus a relictus esset, reliquis sublatis,
 non erat oblivioni datus.
 Oriens.



Occidens.

FIG. II.
 Nec si manipulus b. relictus esset, erat
 oblivioni datus.
 Oriens.



Occidens.

FIG. III.
 Si manipulus b. relictus esset, sublatis mani-
 p. a. et c. erat manipulus praeteritus et oblivioni
 sed manipuli d. et c. non erant oblivioni dati.
 Oriens.




Occidens.

FIG. IV.
 Ita quoque si manipuli a. relictus esset, non erat obli-
 vioni datus, sed manipuli b. et c. relictus dicebantur, oblivioni dari
 Oriens.



Occidens.

FIG. V.
 Si inter tres ordines arborum frugibus consistarum,
 esset olea media, litera a. signata, relicta et non excussa,
 non vocabatur oblivioni data, sed abscondita.







I. N. J.

§. 1.

Ria dona pauperibus relinqvebantur de frugibus in agris, videlicet spicilegium, & oblivioni datus manipulus, vel culmus, & angulus agri, docente *Majmonide in Hilchoth Mattenoth anijim cap. 1. §. 7. edit. Venet. secunda, Tom. 3. fol. 76. p. 1. & Mischnâ Terumoth cap. 9. §. 2. edit. Talm. Amstel. Benevenisti fol. 57. p. 1.*

§. 2.

Spicilegium vocabatur, quod excidebat è falce tempore messis, aut quod excidebat è manu cum colligerentur spicæ, si una vel duæ essent spicæ; nam si tres simul exciderent, pertinebant ad patrem familias. Quod autem cadebat post falcem, vel post manum, licet unica esset spica, non pertinebat ad spicilegium; Interim si quis spicas evelleret, & aliqua ex manu excideret, ad spicilegium referebatur, ut scribit *Majmon. l. c. c. 4. §. 1. seqq. fol. 79. p. 2.* ubi varios simul attingit casus, v. g. si spicilegium cum spicis patris familias commixtum esset, dissipante spicas vento, de quolibet agro, in quo seminari corus poterat, pauperibus loco spicilegii dabantur cabi quatuor; vel si spicilegium nondum esset à paupe-

ribus collectum, & segetes patrisfamilias jam co-
cervatae essent, omnes spicae quae in segetum cumu-
lo terram attingebant, cedebant pauperibus, vel si in
foraminibus formicarum reperirentur spicae, in loco
ubi messis peracta erat, (non vero in loco ubi seges
adhuc in culmum erecta stabat,) pauperibus daban-
tur.

§. 3.

Hinc illustrantur codicis divini commata, v. g.
cum Levit. 19. v. 9. & 10. & c. 23. v. 22. praecipitur:
& spicilegium messis tuae non colliges, intelligitur
ex jam memoratis, quid spicilegium fuerit. Pariter
quomodo Ruth *cap. 2. v. 2. 7. 15. seqq.* collegerit
spicas jam satis patet, quam ita, ut explicatum est, col-
legisse spicas docet *Jarchius in Ruth c. 2.*

§. 4.

Sed quando Ruth 2. v. 22. injungitur Ruthae, ut
exeat cum puellis Boasi, ne occurrant ei in agro alio,
videntur verba explicanda esse de occurso aliorum,
in alio agro simul spicas colligentium, ut eruditè ob-
servarunt *Angli in sua versione in h. l. & Judaei
in versione Germanica Jekuthielis edit. Amstel.
fol. 57. col. 1.* & eo sensu etiam *versio Germanica*
defendi potest, quae sensum hunc habet: ne aliquis
obloquatur tibi. Ast cum *Dni. Vinarienses cum
Luca Osiandro* illud obloquium de inhibenda spi-
carum collectione interpretantur, adversum sibi
sentient *Majmonidem*, qui *l. c. in Mattenoth
anijim*

anijim c. 4. §. 12. collectionem spicarum non potuisse prohiberi ingenuè affirmat, ut ut personæ colligentes ne judaicam quidem religionem profiterentur, ceu docet idem *l. c. c. 1. §. 9.* Dicere itaque volebant, ne alii occurrerent Ruthæ, & illam in colligendo impedirent, quæ impeditio etiam collectionis quasi inhibitio suo modo dici potest. Multo minus dicendum est, quod Rutha adhæserit Boasi puellis, ut simul demeteret fruges, ut existimat *Alphonsus Tostatus Operum Tom. 5. part. 3. edit. Colon. p. 404. col. 2.* cujus sententiam ipse *Corn. à Lapide in h. l.* rejicit, & fundamento carere dicit.

§. 5.

Nec urget necessitas, ut Ruth. 3. comma secundum, ubi Boas noctu ventilaturus dicitur hordeum, de diurna ventilatione usque ad vesperam continuanda interpretemur, cum *Dominis Vinariensibus*, & quem illi secuti sunt, *Luca Osiandro*, quia ipse *Jarchius*, rituum antiquorum indagator solertissimus, noctu fuisse institutam ventilationem propter fures asserit in *h. l.* licet quod *Domini Vinarienses* volunt, evenire interdum potuerit.

§. 6.

Ut ad oblivioni datos manipulos veniamus, non vocabatur manipulus oblivioni datus, nisi ab omnibus nempe à patre familias & ejus operariis esset neglectus, & nisi in agro ejus non recordarentur; nam

A 3

si



si in urbe recordarentur manipuli in agro relictī, ta-
men habebatur per oblivioni dato. Ita quoque
si manipulus ab uno loco agri in alium deportatus
esset, & relictus, dicebatur oblivioni dari, fidem
faciente *Majmonide l.c. in Mattenoth anijim c.*
5. §. 1. seqq.

§. 7.

Imagines autem manipulorum ari incisæ ut re-
ctius intelligantur, observetur quod si juxta figuram
primam homo colligens manipulos, inciperet ab o-
riente, tum manipulus litera *a* signatus, ut ut reli-
ctus esset, non esset oblivioni datus, sicut hæc figura
exhibetur oculis in *Jacobi Kaphelii Omeck hala-*
cha ed. Cracov. fol. 2. p. 2. nisi quod loco manipulo-
rum circellos effigiet. Verba ejus hæc sunt: אף אנו
שכח עומ' בראש השורה: ממזרח למערב אינו שכחה
שהרי השורות הם מכוונים ונמנים' גם כן מצפון לדרום
כמו שהן ממזרח למערב ואפשר היתה נמנה מצפון
לדרום i. e. *si oblitus esset* (homo)
manipuli in initio linea, (tendentis) *ab oriente in*
occidentem, non (erat) *oblivioni datus, quia ecce*
linea se respiciebant, & numerabantur quoque
ab aequilone in austrum, sicut ab oriente in occi-
dentem, & fieri poterat, ut numeratus esset (iste
manipulus, procedendo) *ab aequilone ad austrum.*
Itaque non (erat) *oblivioni datus.* Nam non dice-
batur manipulus oblivioni dari, nisi ab eo loco unde
ince-

inceperant colligere, & ulterius, antrorsum re-
linqveretur ut *idem autor loco citato* inculcat.
Jam verò manipulus litera *a* signatus non erat re-
lictus procedendo à loco collectionis & ulterius, quia
erat primus istius ordinis manipulus. Idem judi-
cium de aliis manipulis, ejusdem lineæ, in qua e-
rat manipulus litera *a* notatus, ferri potest, ut docet
Abraham Ben David in Maim. Matt. anijim
c. 5. §. 11.

§. 8.

Nec in altera figura, si manipulus *b* relictus esset,
dicebatur oblivioni dari. Figuram hanc delineat
& ita explicat *Kaphelius loc. citato*: בעל הבית עם
פועלו שהתחילו מאמצע השורה והעבירו עומר א'
בסקום שהתחילו שהוא הנקודה היחידה בצורה ד"מ
זה פנה לצפון וזה פנה לדרום אינו שכחה ונקרה
לאחריהם כי העומר הנשכח במקום שהתחילו הוא מפני
ששניהם סמכו זה על זה וגם אפשר שימנה זה העומר
ממזרח למערב שהרי הו"ה במכוון בצורה המצוינת א"ב
i. e. *si paterfamilias & ejus opera-
rius inciperent à media linea, & prætermitte-
rent manipulum unum in loco, ubi inceperant,*
*qui erat punctum solitarium in figura hujus lo-
ci (sive manipulus ille solitarius in medio relictus)*
ut hic respiceret ad aquilonem, ille respiceret ad
*austrum, non erat oblivioni datus, sed vocaba-
tur à tergo illorum (relictus,) quia manipulus re-*
lictus

*lictus erat in eoloco, ubi inceperant, quia ambo
 sibi invicem innitebantur (ut uterque arbitra-
 retur alterum visurum esse istum manipulum.)
 Etiam poterat numerari hic manipulus ab ori-
 ente in occidentem, quia respiciebat lineam si-
 gnatam literis א. ב. (sive juxta nostram figuram li-
 teris c d.) Idem docet Majmon. in Misch. Peac. 6.
 §. 4. Et in Mattenoth anijim loc. cit. cap. 5. §. 11.
 ex Mischna cap. 9. Sota, sive capitis Egla aru-
 pha, ut legitur in Ceseph Mischne in h. l. Quam
 rem ulterius explicat Abraham Ben David in
 Maj. loc. §. 7. citat. scribens, primos ordines mani-
 pulorum ab oriente in occidentem numeratos non
 habuisse manipulum oblivioni datum; si itaque
 manipulus in medio ordine relinqvebatur, nec
 ille poterat vocari oblivioni datus, quia si ordo
 manipulorum numeraretur ab oriente in occiden-
 tem, hic manipulus medius fieri poterat initium
 primi ordinis, si nempe manipuli ordinum superio-
 rum ablati essent, ut hinc colligeretur, non haberi
 manipulum medium neglectum pro manipulo ob-
 livioni dato.*

§. 9.

Tertia figura ita in *Kaphelio l. c.* delineata de-
 scribitur: ויחיד שהתחיל מראש השורה ושכח לפניו
 ולאחריו שלפניו אינו שכחה ולאחריו שכחה כזה שהתחיל
 מנקודת א ושכח העומר בנקודת ב ולקח העומר שבנקודת
 ג נמצא שהעביר על העומר שבנקודת ב והוי שכחה ועובר
 עליו

עליו משוי' כל תשוב ושל לפניו אינו שכח' כגון שחניח
 ב העומרים שבנקודת ד' ה וחזר לאחוריו והתחיל בשורה
 שנייה בנקודת ו' והעבי' עוד עליהם אע"פכ אינם
 שכחה שהרי הם נמנים ג"כ ממזרח למערב ומסודרים
 בשור' העוברת ממזרח למערב וא"ל לשכוח
 sive: si aliquis inciperet ab initio lineæ (colligere
 manipulos,) & obliuisceretur (manipulorum ali-
 quorum,) ante & retro; qui ante illum erat (re-
 lictus) non dicebatur oblivioni dari, qui retro,
 (erat) oblivioni datus, juxta hanc (figuram, v.g.) si
 inciperet à puncto Aleph, (sive litera a) & obliuif-
 ceretur manipuli (positi) in puncto Beth, (sive
 litera b) & acciperet manipulum, qui erat in
 puncto Gimel, (sive in puncto c juxta ordinem no-
 stri alphabeti) clarum erat, quod præterisset
 manipulum in puncto Beth (sive b,) & ille esset
 oblivioni datus, & præterisset illum, quia dici-
 tur: non redibis (Deut. 24. 19.) Quod autem ante
 illum erat, (s. ante hominem colligentem,) non erat
 oblivioni datum, v.g. si reliquisset duos manipu-
 los, (positos) in puncto Daleth He (sive d.e.) &
 rediisset retrorsum, ac incepisset à lineæ secunda,
 (signata) puncto Van, (sive f. juxta ordinem nostri
 alphabeti,) & præterisset eos iterum, nihilo ta-
 men minus non erant oblivioni dati, quia ecce
 numerabantur similiter ab oriente in occiden-
 tem, & respiciebant ordinē lineæ (manipulorum)

B

ten-

tendentis ab oriente in occidentem; Et quomodo
(hac ratione) poterant (eos) oblivioni dare? Confe-
ratur *Gemara in Bavametzia cap. 1. edit. Am-
stel. Benevenisti fol. 11. p. 1. Et Aharon Mippesa-
ro, in Toledeth Aharon in h. l. edit. Amstel. Et
Moses Kotzensis in Smag. edit. Venet. elegantio-
ris de anno 1547. fol. 82. col. 1.*

§. 10.

Patet hinc, quod Deut. 24. comma decimum
nonum veteres Hebræi interpretentur de prohibi-
to reditu inter colligendum, quod ille qui colligit
manipulos, si aliquem præterierit manipulum, non
debeat redire, sive retrogredi, & illum capere. At-
que sic non indicatur præcisè, quod è domo sua redi-
re in agrum non debeat, & manipulum relictum pe-
tere, quod quidem etiam non concedebatur.

§. 11.

Itaque *Cornelius à Lap. in h. l. edit. Antverp.
T. 1. p. 1001. col. 2. non accuratè scribit: Jubetur hic
Et Levit. 19. 9. spicilegium & racematio post vin-
demiã relinqui pauperibus; Nam spicilegium
differebat à manipulis pauperibus relictis, ut hæc es-
sent duo distincta dona, quæ pauperibus concede-
bantur; sicut eruditè observavit Dn. *Quistorpius
in annotation. Biblicis ad Levit. c. 19. 9. edit.
Francof. Et Rostoch. p. 141. col. 1. Conf. Bonfre-
rius in h. l. edit. Antverp. p. 108. col. 2. qui rectè ex
Josepha commentatur.**

§. 12.

Nec *Alphonsus Tostatus* in *h. l. operum Tom. 3. parte altera, edit. Colon. p. 228. col. 1.* recte commentatur, quod si aliquis oblivisceretur in agro multorum & magnorum manipulorum, licite potuerit redire, & eos tollere, hac lege divinâ non obstante, utpote quæ de manipulorum paucitate agat. Nam Respondetur, ipse *Maj. l. c. c. 5. §. 9.* scribit fasciculos minores non fuisse habitos pro manipulis, & §. 7. fatetur, si aliqui manipuli continerent etiam duos cabos, fuisse relictos; E. manipuli parvi non relinquebantur pauperibus, sed magni; Præterea §. 14. commentatur: si duo manipuli à se invicem distincti reperirentur oblivioni dati loco unius manipuli, debebant dari pauperibus. E. non pauci manipuli dabantur; licet si plures manipuli quam duo in uno loco relictii essent, non vocarentur oblivioni dati.

Quando autem quæritur in *h. l.* an etiam divites potuerint accedere, & dona pauperibus in agris relicta v. g. spicilegium manipulosque capere, respondet *Augustinus quæst. 44. in Deut. cit. Calov. in bibl. illustr. T. 1. p. 605. col. 2.* Considerandum primo misericordiam facere (illum) qui hoc animo dimittit, ut egentes habeant, quod dimittitur; Deinde cum hac populo præcipiuntur, simul etiam admonentur ii, qui non indigent ista non

querere. Quod si vero quassierint, quid aliud
 quam res alienas, & quod gravius est, paupe-
 rum invadere judicandi sunt? Utrique ergo
 commonentur his preceptis, & quorum agri
 sunt, ut misericorditer ei relinquant, & qui in-
 digentes non sunt, ut inde se abstineant; quando
 utrumque dicitur, & à quibus dimittenda
 sunt, & quibus dimittenda sunt. Existimat ita-
 que planè non licuisse accedere divitibus. Sed ta-
 men Hebræi distinguunt, dicendo pauperes acces-
 sisse prius, & non fuisse admissos ne illos quidem, qui
 tantum quinquaginta possidebant sulas, quibus ne-
 gotiabantur, ut ut non haberentur pro divitibus, jux-
 ta *Mischnam Peac. 8. §. 9.* deinde verò cum pau-
 peres jam sua dona in agris relicta collegissent, potu-
 isse etiam accedere divites, & à pauperibus relicta ca-
 pere, si tantoperè eos avaricia stimulare, juxta
Mischnam Peal. c. §. 1.

§. 14.

Quarta figura exhibet manipulos relictos duos
 oblivioni datos, & unum relictum quidem, sed non
 oblivioni datum. Quos manipulos delineat & ita
 interpretatur *Kaphelinus in Omek Halacha edit.*

Cracov. l. cit. ראובן ושמעון התחילו מאמצע השורה
 מנקודת א' לצד צפון ודרום העומר שבנקודת א' אינו
 שכחה שהוא לאחריהם כרפרישית והעמורים בנקודת
 ב"ג הם שכחה שהם לפניהם ועברו עליהם זה על העומר
 בנקודת ב' לצד דרום וזה על העומר בנקודת ג' לצד
 צפון

וצפון ושכחו והיו ליהו בבל השוב לקחתו i. e. *Si Ruben & Simeon inciperent* (colligere manipulos) à *media linea*, à *puncto Aleph* (sive *a*) *versus aqvilonem & austrum*, (procedendo) *tunc manipulus puncti Aleph* (sive *a*) *non erat oblivioni datus*, quia erat à *tergo relictus*, *ist explicatum est* (in figura secunda); *& manipuli puncti Beth Gimel*, (sive juxta ordinem nostri alphabeti *b. c.*) *erant oblivioni dati*, quia *erant ante faciem illorum*, *& praterierant illos dum hic prateriret manipulum puncti Beth*, (sive *b.*) *versus austrum*, *& iste* (prateriret) *manipulum puncti Gimel*, (sive *c.*) *versus aqvilonem*, *& obliuiscerentur*, *& erant* (isti manipuli oblivioni dati, vilegis *Deut. 24. 19.*) *ne revertaris ad accipiendum illum* (manipulum.) *Paria tradit Majmon. in Mattenoth anijim cap. 5. §. 11.* Conferatur *Otho in Lexico Rabb. Phil. p. 590. ed. Genev.* & in primis *Jarchius in Mischnam Peac. 6. §. 4.*

§. 15.

Quæ autem de oleâ relictâ & abscondita manipulorum figuris annectuntur, in figura quinta, non quidem ad res in agris sed potius in arboribus relictas pertinent, neque eo nomine hîc attinguntur; sed quia olea media non dicebatur oblivioni data, si non reliquarum instar excussa esset, hinc conveniebat cum manipulis in medio ordine relictis quidem, sed non oblivioni datis. Ut ea res se ha-

buerit explicabit iterum *Kaphelius loco citato*, qui
 hanc quoque imaginem exhibet. Verba hæc sunt:
 זית שנמצא עומד בין שלוש שורות של ב' מלבנים
 פיר' מלבנים ערוגות תבואה מרובעות כדלעיל בריש
 פ'ג וזהו צורתו הזית שהוא בנקודת א' שהוא באמצע
 הצורה האמצעית הוא הזית הנשכח ואינו שכחה וא' עפי
 שהוא בתוך אלנות אחרים הרבה והיה ראוי לקרור
 שכחה אע"פכ אינו שכחה מפני שנקרא נסתר ולא שכחה
sive, si olea reperitur stans inter tres ordines duo-
rum Malbenim (notant (autem) Malbenim
areolas frugum quadratas, ut supra, in initio
capitis tertii) tunc hæc est ejus delineatio: olea
quæ est in puncto aleph, (sive litera a), quæ (est)
in medio figura media, est olea neglecta, non ve-
ro oblivioni data, & licet sit inter arbores alias
multas, & conveniret, ut vocaretur oblivioni
data, nihilo tamen minus non est oblivioni da-
ta, quia vocatur abscondita, & non oblivioni
data. Similia his refert *Majm. in Mattenoth*
anijim loc. cit. c. 5 §. 25. qui addit, folius quidem o-
 leæ mentionem fieri, quia olea erat in pretio, intelli-
 gi autem quamlibet arborem, quia de omnibus ar-
 boribus, si ita essent collocatæ, idem foretur judi-
 cium, ut non habeantur per oblivioni datis, sed pro
 absconditis, etiamsi in quolibet ordine ne quidem
 tres sed duæ tantum arbores compareant. Conf.
Mischna Peacap. 7. §. 2. & in eam Majm. &
Obad.

Obad de Bartenora, in primis autem *Jom. Tobh.*
in h. l. ed. Wülmersdorff. Seder Seraim, fol. 21. p. 2.

§. 16.

Quamvis autem de olea afferri multa possent,
quæ lucem nonnullis sententiis sacris darent, tamen
unicum tantum locum delibabimus. Legitur Deut.
24. v. 20. cum excuties oleam tuam, לא תפאר אחריו,
sive non tolles ornatum ejus post te, peregrini, pu-
pilli, & viduæ erit. Non tollere autem ornatum oleæ,
est aliquas in olea relinquere olivas, ut docent *Jar-*
drius in h. l. Elias Orientalis, in Perusch Salo-
monis Isacidis, edit. Cracov. fol. 309. col. 1. & Mo-
ses Kotzensis, edit. Venet. citat. fol. 82. col. 2. qui
itidem ornatum oleæ de relinquendis olivis explicat,
& præterea eandem fuisse rationem oleæ in medio
olearum relictæ, quam aliarum arborum affirmat.

§. 17.

Itaque non descendimus in sententiam *Johannis*
Piscatoris, qui in h. l. operum Tom. 1. p. 44. ed. Her-
born. ita commentatur: Verbum פאר quod aliàs si-
gnificat decorare, seu ornare, hoc loco videtur si-
gnificationem mutuari à nomine פארה quo signi-
ficatur ramus. Videtur tamē retineri posse signi-
ficatio usitata hoc sensu: ne ornato: scil. olivam,
decutiendo olivas residuas in nonnullis ramis:
ita ut intelligatur ornatus, qui consistit in
conformitate ramorum, ut scilicet singuli olivis
careant,

careant, non autem plerique careant, pauci ali-
quid habeant. Germanicè: Du solt deine Oel-
bäume nicht schön oder rein abschütteln. Sed
prior expositio simplex & genuina videtur.
Nam Respondetur illa prior expositio, à judæis reji-
citur, unde quoque deserenda versio est Tremellii
in h. l. qui aliàs quoque sæpius Hebræam historiam
negligit. Nec oleæ ornatus consistit in conformi-
tate ramorum, sed in fructibus, & olivis, ut si illæ,
relinquerentur in aliqua oleæ parte, non ornatu o-
mni destituta olea videretur. Imò diversæ sunt phra-
ses: mundam reddere rem aliquam, quæ notat o-
mnimodè spoliare, sicut verbum $\eta\kappa\alpha$ eo sensu sumi-
tur, & ornare rem aliquam, quæ phrasis non de tota-
li spoliatione privationeque usurpatur. Non ta-
men diffitemur, ipsum *Kimchium* in libro *Radi-
cum edit. Venet. p. 385.* etiam statuere ramum ar-
boris esse ornatum arboris, sed tamen asserere,
majores suos explicuisse oleæ ornatum de oleis in ra-
mis remanentibus, pauperibusque relinqvendis.
Unde quoque in *Scholiis Elia Levita Gramma-
tici in librum hunc radicum* ornatus oleæ de
relinqvendis olivis explicatur. Peculiarem fovet sen-
tentiam *Seba in Tzeror Hammor. edit. Venet.
fol. 147. col. 2.* quasi sensus hic sit: non ornabis post
te i. e. non ornabis posteros tuos, ut existimes filiis
tuis potius competere istas oleas, quas Deus dari vult
pau-

pauperibus. Quæ sententia rectè quidem verbo
רנפ ornandi significationem tribuit, sed non rectè
applicat, & hinc deseritur.

§. 18.

His ita excusis digredimur ad alia codicis divi-
ni commata, de manipulis agentia, v. g. cum Ruth.
2. v. 7. Rutha petit: legam quæso & colligam inter
manipulos post messorum, indicari hic Hebræi vo-
lunt collectionem manipulorum, qui oblivioni da-
ti erant. Vid. *Jarchius in h. l.* Inde de spicilegio
solo hic locus non videtur accipiendus, ut arbi-
trantur *Cornel. à Lap. in h. l. edit. Antwerp. T. 2.*
p. 200. col. 1. & *Moses Alschech in Midrasch*
Ruth ed. Prag. f. 11. c. 4. Similiter cum Ruth 2.
v. 15. mentio fit collectionis inter manipulos, ad ma-
nipulos oblivioni datos respicitur, qui manipuli di-
stingvuntur à fasciculis in sequenti v. 16. memora-
tis, utpote qui erant minores manipuli, annotanti-
bus *Jarchio in h. l.* & *Kimchio in libro Radicum*
edit. Venet. p. 412. in R. צבת. Benè quoque com-
mentatur *Lucas Osiander in h. l. T. 1. p. 365. col. 1.*
quod etiamsi fasciculi adhuc jaceant in terra, collige-
re eos Rutha debeat, licet collectionem de spicis ac-
cipiat, quæ de manipulis accipienda erat.

§. 19.

Ita quoque Jer 9, 22. agitur de manipulis, cum
dicitur, cadavera humana abjicienda esse instar ma-
C nipu-

nipuli, post metentem (relictis,) quem nemo colligat. Solebat enim accidere, ut aliqui manipuli planè non colligerentur, licet illud rarissimè eveniret, cum post colligentes ordinarios, etiam colligerent adhuc alii, ut docetur in *Mischna Pea c. 8. §. 1.* Et in *comment. Majm. Et Bartenora in h. l.* Unde *Kimchi in h. l.* de manipulis hæc verba explicat, & *Hülsemannus* in h. l. itidem manipulos intelligi affirmat. Nam de foeno sive gramine arido hîc non est sermo, quod gramen non עמר sed מציר appellatur, ut meritò deserendus sit *Michaël Ghislerius Romanus T. 1. in Jerem. edit. Lugdunens. p. 825. col. 1.* de foeno hunc locum accipiens, & *Theodoretum secutus, qui operum Tom. 2. edit. Paris. p. 187.* etiam de foeno interpretatur.

§. 20.

Præterea *Amos. 2. 13.* de manipulis prementibus sermo est, cum dicitur: ego premam locum vestrum, quemadmodum premit plaustrum, quod plenum est manipulis. Quo sensu etiam *Judæi Hispani in versione Casseres, edit. Amstel. p. 885.* Et *Judæi Germani in versione Jekuthielis, edit. Amstel. fol. 183. col. 1.* transferunt; *Jarchius* quoque in h. l. *Kimchius* in libro *Radic. in R. p. v. ed. Venet. p. 355.* ut & *Vinarienses, Cornelius à Lapide, Hugo Grotius, Joannes Coccejus, Et Angli in h. l.* de manipulis prementibus rectissimè intelligunt.

ligunt. Quando autem *Lucas Osiander* stridendi vocabulum, & versio Germanica vocabulum *Kirren* adhibent, non videntur propterea emendatione indigere, quia si onustus est currus, etiam stridet, & hinc gemitus judæorum stridendi vocabulo, & vocabulo *firren* exprimitur. Cur autem manipulis onusto curru non verò aliis onusto rebus indicetur oppressio, ejus rei rationem dat *Kimchius* in h. l. quod manipuli vento agitentur, & hinc onus sint maximum.

§. 21.

Sic etiam Mich. 4. 12. rectè vertitur: congregabit illos, ut manipulum in aream, sicut optimè explicant *B. Lutherus, Lucas Osiander, Hugo Grotius, Cornel. à Lapide*, & ex Hebræis *Jarchius* in h. l. Nam sicut manipuli in aream congeruntur, ut triturentur, ita Deus volebat punire populos ibi memoratos. Quæ comparatio concidet, si de foeno hic versus cum *Vulgato interprete* explicetur, quia foenum non in aream congeritur, ut trituretur; imò Hebræa vox non foenum significat.

§. 22.

Denique cum Sacch. 12. 6. Deus dicitur duces Jehudæ dispositurus, ut tædam ignis invadentis manipulum, & vertitur Germanicè *zur Sacel im Stroh* / non statim accusanda versio est Germanica. Licet enim Vox רמב significet manipulum,

C 2

&

& hinc *Versio Hispanica edit. Amstel. in 8. Et Germanica Judaeorum edit. Amstel. in fol.* vocabulum manipuli rectè exprimant; tamen quia manipulus, posteaquam excussus & triturratus est, fit stramen, hinc vocabulum *Stroh* commodè de manipulo explicatur.

§. 23.

Ut plura dona, in agris pauperibus relicta, attingantur, vix opus est memorare, culmum inter metendum non resectum, ad pauperes pertinuisse, cum de ea re aliunde constet, nec involuta sit, modò attendatur, si hujusmodi seges, in culmos erecta contineret duas seas, non inter res oblivioni datas fuisse numeratam, & præterea si manipulus oblivioni datus proximè adjaceret hujusmodi segeti, non fuisse habitum pro ejusmodi manipulo, pauperibus debito, quemadmodum docetur in *Majmonide Matt. anijim c. 5. §. 19. 20. 21. Et in Mischna Peac. 6. §. 7. 8. Et in ejusd. comm. Maj. Et Bartenora, Et Jom Tobh.*

§. 24.

Itaque potius de angulo agri loquamur, pauperibus relinquendo, Levitic. 19. v. 9. De quo scribit *Aben Esra in h. l. Et ejus interpres Samuel Tzirsa, in Sepher Mecor Chajim, edit. Mantuana, f. 74. col. 4.* quod jungatur cum sacrificiis salutaribus, ut sicut Deo dandæ erant de hoc sacrificio certæ partes, ita etiam dandæ essent pauperibus certæ

certæ partes, ut propterea spicilegium & angulus agri injungerentur, ut homo liberalis, non avarus esset. Erat autem ille angulus pars agri extrema, in qua relinquebantur fruges, ut non resecarentur, cujus quantitas erat pars agri sexagesima, licet pro lubitu relinqui pars major posset, si ager esset major, & multitudo egenorum numerosior. *Vid. Maj. l. c. cap. 1. & Mischna l. c. c. 1.* Quod autem ille angulus non demeti à pauperibus debuerit, ne damnum sibi inferrent falcibus, & quod ad illum mane, meridie, & vesperi accesserint, docetur in *Talmude Hierosolymitano edit. Cracoviensis, T. 1. fol. 18. col. 1.* & in *Ainswortho in annotatis Anglicis in Pent. ed. Londinensis p. 109. col. 1.* Judæi enim liberales in egenos erant, quia ab eleemosynæ neglectu multa proficisci mala sibi persuadebant, ut scribit *Menachem Rekanathensis, in Sepher Taame Hammitzvoth, editionis Constantinopolitanae, literâ Daleth, fol. ultimo, in calce paginae signato.* Quomodo autem danda sit eleemosyna fusè docetur in *Mardochai Japhe, T. 2. operum, sive Sepher Lebbusch atheret sahabh gedola, edit. Pragensis, numero 247. seqq.* & in libro Hispanico de *Mantenimiento de la alma Mosis Altaras, sive Davidis Barzilay, cujus operi ausus est, fol. 139. seqq.* quilibet versionem aliquot capitum Arba Turim continet.

§. 25.

Hinc facile apparet, per extremitatem agri angulum

C 3

gulum agri intelligi, non verò ipsas segetum extremitates, quasi non tam profundè falx in segetes immittenda sit, quin longiores stipulæ in usum pauperum relinqvantur, & spicæ etiam depressiores remaneant, ut opinatur *Hieronimus*, quem propterea deserit *Bonfrerius in Pentat. edit. Antverp. p. 661. col. 2.* rectissimè statuens, plerosqve hæc verba: non consummabis angulum, explicare de extremitatibus agrorum, in quibus aliquæ relinqvendæ segetes sint pro pauperibus. Unde quoqve *Tostati* sententia, quod humiliores spicæ relinqvendæ sint, non meretur calculum, & *Olestri* sententia de angulo relinqvendo arripitur. Vid. *Cornel. à Lap. in h. l. edit. Antverp. 708. col. 1. § 2. qui pag. 495. in Exod. c. 23. v. 9.* refutat in cognato huic argumento *Augustinum, quest. 89.* anno septimo seminari quidem agrum potuisse, sed non demeti scribentem, cum tamen septimus annus fuerit terræ sabbatum, & sic plane terra quieverit.

§. 26.

Sed plus negotii facessunt verba Deut. 32. 26. an vertenda sint in angulum cogam illos, ut interpretatur *Jarchius*, quasi dicat Deus, ego illos abjiciam, & habebò instar anguli in agro relictæ, quem quilibet rapere potest; sicut quoqve explicat *Menachem in suis Concordantiis Hebrais*; unde etiam *Angli in sua versione edit. nostr. Londin. anni 1676. & Judæi*

Judæi Hispani in versione Casseres edit. Amstel. & Judæi Germani in versione Jekuthielis, ab Uri Veibes Amstel. impressa in h. l. de rejectione in angulum accipiunt; quibus adstipulatur ipse Kimchius, in libr. Radic. edit. cit. in R. פאד fol. 385. Idem quoque sentiunt Quistorpius in annotation. Biblicis edit. Francofurt. & Rostochiens. p. 222. col. 1. init. & Hugo Grotius in bibl. illustr. Calov. T. 1. p. 623. col. 1. Quò etiam inclinatur Onkelos in h. l. quando Chaldaicè vertit. וְאִשְׁרָיוֹן, sive & consumam eos. Nam verbum אִשָּׂה notat consumere, ut docetur in Meturgeman Elie Levite, edit. Isnensis, fol. 158. col. 1. quando autem Deus consumit reos, in angulum eos conjicit; An verò illa verba verti debeant: ubinam sunt? quam interpretationem amplectitur Lucas Osiander, in sacrorum Bibliorum parte 1. p. 283. col. 2. scribens: Ubinam sunt? illi qui mandatum meum non curarunt: fœdus meum violarunt: admoniti ut pœnitentiam agerent, id facere contempserunt, & Messiam oblatum repudiarunt? Ex Hebræis idem affirmat Simeon in Jalkuth edit. Cracoviens. T. 1. fol. 308. col. 2. init. qui verbum אִשָּׂה exprimit per voces: אִשָּׂה הֵם i. e. ubinam illi? Ita quoque transtulit B. Lutherus, & Dn. Vinarienses ejus mentem secuti. Licet autem versio prior analogiæ Grammaticæ satis videatur conformis, & facilior, tamen altera

altera non sua laude, nec Hebræorum consensu de-
stituitur, nec statim emendanda est, sicut multa in
versione Germanica videntur emendanda iis, qui
consensum Hebræorum veterum cum mente Lu-
theri non legerunt in codicibus Hebræis. Quò au-
tem plura quotidiè leguntur, eò tardius ad emen-
dationes summorum virorum proceditur. *Nam
suam cuiq; laudem, laborum præmium, & relin-
quimus libenter, & concedimus cumulatè, &
deferimus liberaliter, ut monet Scaliger de subti-
litate ad Cardanum, exercitatione 160. circa fin.
edit. Francof. p. 536.*

§. 27.

Ita expeditis iis, quæ in agris pauperibus relin-
quebantur, aliqua adhuc dicenda restant de rebus
spontè nascentibus, quæ itidem in agris relinqueban-
tur ex parte, licet non solis pauperibus darentur. De
his rebus sermo est Levit. 25. v. 5. & 11. ubi legitur
quod sponte nascentia demeti non debeant, in
quem locum *Dni Vinarienses* commentantur,
quod de sponte nascentibus datæ sacerdotibus pri-
mitiæ fuerint, licet non de iis darentur decimæ Le-
vitis. Sed *Majmonin Mattenoth anijim c. 6. §. 5.*
scribit, nec therumam (sive primitias sacerdotib9 de-
bitas,) nec decimam primam, aut secundam, nec de-
cimam pauperum dari de ejusmodi rebus fuisse so-
litam. In Ægypto tamen, in terra Ammon & Moab,
ubi

ubi non observabatur annus requiei, datas fuisse decimas. Quæ ultima fortassis *Dnos Vinarienses* in sententiam de datis primitiis induxerunt. Quicquid enim pro *Dnis Vinariensibus* dici potest, meritò affertur, cum illi versione *B. Lutheri* amicè & cum iudicio interpretentur, nec temerè ad emendandum provolent. Cum *Majmonide* consentit *Bonfrerius* in *h.l.* qui ed. *Antverp.* p. 705. col. 2. ita commentatur: *Non est ergò hic mentio sacrarum primitiarum, quæ Deo vel sacerdotibus separabantur, quod deinde probat; & Exod. 23. p. 474. scripserat: Satis tamen inde patet, ex eo quod messis & vindemia non fieret, non potuisse solvi ejus anni decimas Levitis. Idem censeo de primitiis, quæ dabantur sacerdotibus, et si Abulensis in Levit. 25. quest. 5. contrarium sentiat.*

§. 28.

Alia injicitur mentio rerum sponte nascentium 2. Reg. 19. 29. & Es. 37. 30. ubi verba in utroque loco ita sonant: *illud autem esto tibi hujus rei signum, comedere vos anno uno sponte natum, & anno altero sponte renatum, anno demum tertio serite, & metite, ac plantate vineas, & comedite fructum earum.* Ita quidem vertit *Tremellius*; sed *Jarchius* in *h.l.* anno primo scribit nasci debere
D germi-

germina, anno secundo quæ de arboribus succide-
bantur esse germinatura. *Angli autem ita expli-
cant*, quod primo anno ea nascitura sint, quæ spon-
te nascuntur, anno secundo ea, quæ ex, seminibus
(relictis in agris) suscitentur. Cum quibus facit
Kimchius in libro radicum, qui edit. Venet. p. 333.
scribit, Saphiach esse germen quod sine aratione &
seminatione oriatur, *Et fol. 324. Et 503.* Sachisch esse
quod germinet ex radicibus seminis post Saphiach.
Eodem ferè sensu *Cornel. à Lapid. in 2. Reg. 19.*
29. quod primo anno nasci debeant, quæ ex semen-
te & germine reciso repullulent, anno vero secundo
quæ vel ex arbore vel ex granis deciduis orientur.
Ita etiam *Lorinus in h. l. edit. Lugdun. f. 858. col.*
2. primo anno ait esse comedenda quæ reperiantur,
2do, quæ sponte nascantur. Sed *Sanctius in h.*
l. edit. Lugdunens. f. 1587. Et 1588. Saphiach ait
idem esse, quod sine ulla operâ aut industria homi-
num nascatur, seu sponte fundat terra, sive quod ex
relictis anni superioris granis in agro nascatur, sed
h. l. Saphiach esse, quod ex radicibus demessæ aut
conculcatæ segetis repullulet, Sachisch autem esse,
quod ex radice antiqva, aut ex labore alterius anni
nascatur, qualis sit arborum fructus, qui proveniat
è planta, longè ante illud tempus sata. In quo sen-
tentiæ divortio *Anglorum Et Kimchii senten-
tia*

tia palmam tenet, ad quam inclinat etiam versio Germanica, quæ per verba: quod conculcatum est, intelligit ea, quæ sponte nascuntur, nempe ex terra conculcata, & hinc emendari non debet.

§. 29.

Restat ut Jobi 14. comma decimum nonum ventiletur, ob vocem Saphiach huc quoque referendum, in quo explicando non conveniunt interpretes. Nam *Moses Nachmanides in h. l. in Bibliis nostris Venetis de A. 1518. T. 2.* vult sensum hunc esse, quod terra inundatur, (sive obrutura) sit cum inundatione aquarum res memoratas, nempe omne germinans in ejus pulvere, ut omnia illa eradicentur & inundentur. *Abrahamus Peritzolius in h. l. in Bibl. cit.* scribit, intelligi per vocem Saphichea conjunctiones aquarum, hinc inde fluentium, & postea congregatarum, ut inundent, auferantque quicquid repererint, ut derivetur vox Saphichea ex loco: Saphachena (conjunge quæso) quod significat conjunctionem, & ita dici: Saphiach Kezirecha, (conjunctionem messistux,) quia homo expectet, donec jungatur cum ea, & demetat illam, ut inde vitam sustentet. *Jarchius in Bibl. Buxtorf. in h. l.* ita verba Hebræa exprimit: inundabit inundatio

datio lapides, ut vertat (eos) in pulverem, & germinet exinde aliquid, sicut germinant res sponte natae messis praeteritae. Kimchi in libro radic. f. 333. Sephichea accipit, de pluviis inundantibus pulverem terrae. Ita quoque Aben Esra in h. l. scribit: inundabunt fluctus ejus (aquae) pulverem; Gersom autem in h. l. vocem Sephichea ex significatione rerum sponte nascentium interpretatur, cum ita differit: sicut aquae contundunt lapides, donec non sint amplius, & sicut inundat fluentum res sponte natas, donec illae pereant, ita spes hominum pereunt. Deinde alteram sententiam de pluviis inundantibus annectit, & de iis etiam explicari vocem Sephichea posse statuit. Paulò aliter adhuc Jehuda Chassan in Sepher Chibbure Leketh in h. l. edit. Lublinensis fol. 168. col. 4. commentatur, cum ita textum vertit: Es verfließet ihre Abreißung/ daß es wird zur Erden / i. e. partes avulsæ lapidum (quas aquae avulserunt,) mutantur in pulverem, ut germinet exinde aliquid. Ex quibus facile apparet, Hebræos plurimos facere cum versione B. Lutheri, ita hunc locum transferentis: Die Tropffen stößen die Erde weg.

*§. 30.
 Non autem est quod Joannes de Pineda in
 h. l.*

h. l. edit. Colon. p. 617. magnificè dilaudet *Vulgatum interpretem*, quod nemo satis mirari queat exquisitam ejus diligentiam, quia verterit: *Et alluvione paulatim terra consumitur*, quasi terræ vocabulo & nascentia terræ, & terram ipsam complexus sit, & sic Hebræum textum accuratè expresserit. Nam Respondetur, vocem Sephichea non idem significare ac vocem Apher, & sic terræ vocabulo utrumque comprehendi non posse, sicut arbores & flores è terra nascentes non vocari terra possunt.

§. 31.

Melius sentit *Jacobus Bolducius in Comment. in Jobum T. I. in h. l. edit. Parisina, fol. 581. col. 2.* scribens: *tenuissimus pulvis sic aquarum alluvione ex lapidibus abrasus, luxuriabit herbis, gramine, arbusculis, Et aliis, quæ spontè nascentur.* Nam Sephichea rectè distinguit ab Apher, licet de sponte nascentibus interpretetur, & sponte nascentibus luxuriare pulverem sibi persuadeat, cum tamen sponte nascentia essent longe pauciora, quam ea quæ ex agris cultis proveniebant.

COROL.



COROLLARIA.

1.

FLorere Wittenbergæ Hebræas literas publicè in Acad. Pragensi deprædicavit suâ ætate earundem literarum Professor Publicus, Nicolaus Albertus à Kamenek, in oratione sua solenni, posteaquam aliorum Philologorum iniecit mentionem, ita scribens: *Et si rectè oculi prospiciunt, benè hos sequuntur Fabricii & Crinesii לָבֵן בְּהַר* ubi Moses Teutonice loquutus est. *Hi audiantur jam: ego taceo. Annon illi & hi satis idonei sunt tibi lingua discenda autores?* Deinde aliquot foliorum intervallo laudat Schindlerum nostrum his verbis: *Cui studio & verò etiam plurimis textibus Biblicis dextrè explicandis mirè serviens plus triginta annorum spatio elaboratum Lexicon VALENTINI SCHINDLERI, Præceptoris quoque mei, dum vixit intimi, sub prelo est &c.* Quæ laus ut nostræ Academiae sit perpetua Deus faxit.

2.

Autor, qui *Baal Turim* dicitur, est *Jacob Ben Ascher*, qui quatuor libros *Turim* scripsit, conjunctim editos Constantinopol. & Hanoviæ in fol. T. uno & in 2. Tom. Cremonæ in fol. deinde commentariis illustratos à *Josepho Karone* 4. Tom. in fol. Cra-

Cracov. & Sabionettæ impressis, ut & à Joële Sircio 4. Tom. in fol. Cracoviæ itidem impressis, qui singula volumina vocat Tur; denique à Samuele de Medina per quæstiones & responsiones explicatos, & Salonici editos, Tom. tribus in fol.

3.

Thomas Gatakerus in Cinno edit. Londin. p. 337. deliros vocat judæos, de portentosa molis Behemoth commentantes, sed eos non intelligit, neque quomodo mentem suam explicent in *Caphthor Vapherach edit. Basiliens. f. 136. & 137.* indagavit; aliàs non ejusmodi formasset judicium.

4.

Lotiones manuum in Hebræa gente fiebant communiter ad manus carpum, & usque ad condylos, Vid. *Aruch f. 70. col. 4. & III. col. 2. ed. Ven.*

5.

Pharisæi non ita vocabantur, quod legem interpretarentur, sed quod se ab aliis vivendi ratione sejungerent, docente *Majmonide in Tymmath Ochelin c. 16. §. 12.*

6.

Sacerdotibus dabantur Therumæ, Levitis vero decimæ, & quidem primæ. Quod inter alios eleganter docet *Joannes Seldenus, in libro Anglico, quem vocat the history of Tithes cap. 2.*

7. Syna-

AK TI: 230

7.

Synagogæ etiam in pagis erant, ut testatur
Bartenora in Megilla c. 3. §. 1.

8.

Qvi in Judæorum invehuntur Talmud, videant, ne simul invehantur in Mischnam, alteram ejusdem partem, quam tamen approbant. Nam qvi Hebræos ob fabulas admixtas accusare cupiunt, debent dicere, in Gemarâ Talmudis Babylonici occurrere nonnullas fabulas (quanquam non tot sint, quod vulgò esse putantur,) non verò possunt asserere, Judæorum Talmud scaterè fabulis, cum sic etiam Mischnam partem ejus alteram, à fabulis immunem, & veterem historiam egregiè explicantem, immeritò sugillent. Quam phrasium diversitatem non attendit *Antonius Hulsius, in Breviario Theologiae Judaicae subnexo, edit. Bredanensis fol. 575. seq.* sæpius Talmud accusans, cum accusare Gemaram velit.

Err. §. 6. leg. habebatur pro oblivioni dato. §. 16. leg. Jarchius in h. l.

DE meliore luto finxit præcordia Titan,
Chare, tibi, mentis munera multa ferens,
Surge igitur, clarusqve novis affuesce vocari
Plausibus, Aonidum quos tibi turba dabit.
Felicem gnatum, quem cultior evehit ætas
Remigio Sophiæ, consociatqve PATRI.

*Respondenti Clarissimo lub. meritoq;
applaudebat*

PRÆSES.

107

AL

Q. K.
411,
44.

Reb

&

ad

THEO

Ling.

cu

M. JO



Typi

s reli-

im

ræS.

SOVIO,

eliq. P.P.

tiam


MOLTZ,

US,

CVI.

i,

Acad. Typ.



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

5

